Varrentrapp

G. Krüger.

4·5

COMMENTATIONIS

DE

CHRISTIANO ARCHIEPISCOPO MAGVNTINO

SPECIMEN PRIVS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS IN ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIII MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

CONRADVS VARRENTRAPP

BRVNSVICENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ERNESTVS FRENKEL

EDVARDVS HILLER

ERNESTVS WEISMANN

BONNAE

FORMIS I. F. CARTHAVS

Constat ac iure magnopere doletur Frederici primi imperatoris res virorum doctorum studiis adhuc haud multum tractatas ac paene neglectas esse, quamquam elucet, haec ipsa tempora Germaniae totique Europae gravissima fuisse accuratamque eorum cognitionem permultum valere ad recte diiudicandam quaestionem illam, de qua pendet totum fere nostrum de medio aevo iudicium, quaestionem dico de imperatorum nostrorum rerum gerendarum ratione iuste ac sine ira et studio aestimanda. Neque autem haec tempora accurate cognosci neque ipsius Frederici res recte iudicari possunt, nisi eorum virorum rebus expositis qui per ingens illud inter duos mundi gladios certamen aut factis aut consiliis aliquid valuerunt. Quibus viris atque eorum summis quidem praeclarissimisque Christianus Maguntinus archiepiscopus adnumerandus est, quo post mortuum Reinaldum Coloniensem nemo magis Frederici res auxit ac sustinuit. Sed de huius ipsius rebus commentationem doctam nostraque aetate dignam adhuc desideramus. Berbisdorfii enim canonici Merseburgensis libellus [1]) non sine diligentia quidem scriptus est, sed sine ulla arte critica ac sine ulla cognitione rerum Italicarum. Itaque quodam modo ad eum supplendum adhiberi potest Camicii Itali [2]) commentatio, sed

1) Annales des Lebens und der merkwürdigen Schicksale des ehemaligen Probstes zu Merseburg und nachherigen Erzbischofs zu Mayntz Christian I. Zwickau 1773.

2) Supplementi d'istorie Toscane. Serie: Arcivescovo Rinaldo. Firenze 1772. p. 36. Quam commentationem in nostram linguam versam invenimus apud Büsching Magazin für Historie vol. 13, 407 et Schunk, Beiträge zur Mainzer Geschichte 3, 1., quorum hic pleraque a Camicio edita diplomata omisit nec non ad errores gravissimos corrigendos notas copiosas addidit.

dolendum est hanc perbrevem esse ac saepe gravissima in ea vix commemorari. Magis ad commune iudicium popularemque intellegentiam accomodata est novissima quamquam iam h. s. quarto anno edita vita Christiani[3]) ab Heynigio composita propter artem rhetoricam laude fortasse non indigna, sed, si ipsam historiam spectamus, prorsus nullius pretii. Quae cum ita sint, est profecto, cur doleamus, quod ne ea quidem commentatione, quae nuper de Conrado Christiani aemulo scripta est[4]), de ipso Christiano quidquam novi comperimus, nonnunquam scitu dignissima scriptor vix attingit neque ad ipsos fontes, sed ad Trithemium quasi auctoritatem suam provocat. Multa meliora sunt quae nuper etiam ad Christiani res exponendas Reuterus[5]) in historia Alexandri tertii praestitit, nisi quod in transitu tantum ibi de Christiano agi ex ipsa re consentaneum est.

I.

Christianum Thuringum fuisse annales Stadenses[1]) narrant eumque ortum plerique recentiores scriptores[2]) addunt e gente comitum de Buch. Quorum castrum in fluvii Unstrodae meridionali ripa situm erat proximum monasterio Mimilevensi[3]), cuius advocati aliquamdiu erant, nobis privi-

3) Christian I. Erzbischof von Mainz, einer der ersten Fürsten seines Zeitalters. Nürnberg 1804.

4) Conrad. I. Ein Lebens- und Charakterbild. München 1860.

5) Imprimis cf. 2, 156—167 et 248—265. 3, 48, 207 sq. 242 sq.

1) Mon. SS 16, 347.

2) E. c. commemoro: Reuter l. c. 2, 1[illegible]8 — Raumer, Geschichte der Hohenstaufen ed. 3 vol. 2, 136 — Ficker, Reinald von Dassel 32. — Fechner, Forschungen zur deutschen Geschichte 5, 450.

3) Wilhelm, Geschichte von Memleben 6. De finibus territorii comitum de Buch: Falckenstein, thüringische Chronik 2, 784.

legium[4]) conservatum est, quo comes Otto de Buch hanc advocatiam Wernhero abbati Hersfeldensi concedit; comitem Henricum de Buch a. 1255 et sub canonicorum Portensium diplomate[5]) testem subscriptum et tres mansos concedentem cernimus; eiusdem comitis duo diplomata a. 1262 et 1272 data Menckenius commemorat[6]). Non multo post hac familia exstincta eius possessiones in comitum de Kaevernburc, saeculo quarto decimo ineunte in comitum de Orlamuende manus venerunt[7]). Christiano vivente comes Henricus de Buch saepius occurrit; eum et sub nonnullis Frederici imperatoris, Christiani, Wicmanni Nuenburgensis episcopi, Sifridi abbatis Hersfeldensis, Ludovici et Hermanni Thuringiae provincialium comitum diplomatis subscriptum et a. 1179 ecclesiae in loco Osforde sitae decimam conferentem[9]) videmus; maximi momenti nobis sunt duo privilegia monasterio Portensi ab imperatore[10]) et Hermanno[11]) Thuringiae provinciali

4) 1244 Iun. 22 datum. Ludewig, reliquiae man. 5, 100. — Falckenstein l. c. 785. Praeterea Ottonem sub Henrici provincialis comitis diplomate 1239 aug. 7 dato subscriptum invenimus. Wolff, Chronik von Pforta 2, 35.

5) Wolff l. c. 2, 78.

6) Wolff 2, 80. — S. r. G. tom. 1, 623.

7) Rein. Thur. sacra 2, 118 n. 29.

8) Testis subscriptus est sub diplomatis:
1154. mart 8. Wicmanni episcopi Nuenburgensis. Wolff 1,118.
1166 aug. 20. Frederici. Boehmer 2519.
1169. dec. 18. Christiani. Schultes dir. dipl. 2, 204. Rein. 53.
1178. iun. 9. Ludovici. Wolff 1, 152.
(1178.) eiusdem. Wolff 1, 155.
1180. oct. 9. Frederici. Boehmer 2628 et 2629.
1182. apr. 5. Sifridi. Wenck hess. Landesgesch. 3, 82. Wolff 1, 182.
1184. Ludovici. Stumpf Acta Maguntina 99.
1186. dec. 3. eiusdem. Wolff 1, 191.
1190. Hermanni. Wolff 1, 197.

9) cf. diploma ab Ulrico episcopo Halverstadensi datum. Wolff 1, 159.

10) Wolff 1, 120.

11) Wolff 1, 244.

comite concessa, quibus, cum ad donationem ab Henrico comite huic ecclesiae collatam pertineant, Henrici consanguineos accuratius cognoscimus. Henricus cum, ut mortuus filius in ecclesia Portensi sepeliretur, optasset, postquam monachi quod voluerat fecerunt atque praeterea ei 110 argenti marcas dederunt, iis villulam Osforde in fluvii Unstrodae ripa septentrionali sitam[12]) contulit. Quod cum Sibodo comes de Scartfeld, Henrici socer, iniquo animo ferret aliasque possessiones monasterii agressus esset, Theodoricus abbas Portensis ab imperatore ut monasterium tueretur petiit. Cuius petitionum ratione habita Fredericus Halae 1157 ecclesiae Portensi cum alias possessiones tum villulam Osforde ab Henrico in praesentia imperatoris et multorum principum denuo monasterio collatam confirmavit. Mortuo tamen Henrico filius eius Hugoldus eandem villulam sibi vindicans monasterium vexavit, donec monachi Hermanno Thuringiae comite provinciali et aliis suadentibus Hugoldo, cuius patri iam praeter illas 110 marcas, de quibus supra diximus, complures annos magnam expensam, fratri autem Sibodoni 24 marcas atque multa alia bona mobilia dederant, ipsi etiam 60 argenti marcas soluerunt, quibus receptis Hugoldus fratres Portenses in posterum propter villam Osforde non turbaturum se esse pollicitus est. Hugoldum praeterea testem sub Hermanni Thuringiae provincialis comitis et Alberti archiepiscopi Magdeburgensis diplomatis subscriptum videmus. Quae ex compluribus diplomatis conquisivi, ut in ipso aevo Suevico comites de Buch saepius nobis occurrere demonstrarem; frustra tamen ullum vel eiusdem temporis scriptorem vel di-

12) Wolff 1, 127.

13) Testis subscriptus est sub diplomatis:

1199. nov. 15. Stumpf. A. M. 140. Rein. 1, 72.
1203. eiusdem. Ludewig rel. man. 5, 118.
1206. eiusdem. Thur. sacra 333. Rein. 2, 122.
1208. eiusdem. Wolff. 1, 271.
1210. Alberti archiepiscopi Magdeburgensis. Schultes d. d. 2, 469.

ploma reperire studui, quo Christianum comitum laudatorum gentilem fuisse ostendatur. Scriptorum recentiorum qui, quo auctore Christianum comitem de Buch appellent, referunt[14]), ad nullum meliorem testem provocant quam ad Casparem Bruschium Egranum, qui in catalogo archiepiscoporum anno 1549 demum edito Christianum comitem de Buch significat. Sed ut omittam eius catalogis Germaniae episcoporum non magnam auctoritatem esse tribuendam iam viros clarissimos Ludewigium et Ioannem[15]) intellexisse, illum imprimis in hac operis parte scribenda non optimis fontibus esse usum manifestum est. Conradum enim, qui Christiano prius electo, ab imperatore autem non probato anno 1161 archiepiscopus Maguntinus constitutus est, iam hoc anno archiepiscopum Salisburgensem appellat, quam dignitatem eum anno 1177 demum adeptum esse constat, et Christianum tredecim tantum annos sedem Maguntinam tenuisse falso narrat, quibus rebus exceptis nihil fere de Christiano affert. At fortasse aliquis dicat, Christiani duos fratres fuisse, qui cum Henricus et Hugoldus ut infra videbimus, nominentur iisdem nominibus significantur, quibus ii comites de Buch, de quibus supra diximus; illos tamen fratres horum alterum alterius filium fuisse non est praetereundum. Quae cum ita sint, Christianum comitem de Buch non esse appellandum censeo, donec fortasse editis diplomatis adhuc ignotis, quae ad Thuringiae historiam pertinent, haec quoque res certius et dilucidius cerni possit.

Inscii quis Christianus pater fuerit, matrem eius non ignoramus. Quam sororem Cunizae primae abatissae monasterii Rinsberch a. 1169 mortuae et comitis Frederici de Bichle fuisse annales Egmundani[16]) narrant. Fredericum autem comitem de Bichle eundem esse ac Fredericum primum comitem de Bichelingen[17]) duobus diplomatis Christiani

---

14) Sic Latomus ap. Mencken 3, 506.

15) Ioannis rerum Moguntiacarum tom 1 praef. 18.

16) M. SS. 16, 467.

intellegimus, in quorum altero[18]) archiepiscopus „consanguineos nostros filios videlicet avunculi nostri comitis Frederici de Bichelingen Reinbodonem et Fredericum“ commemorat, sub quorum altero[19]) Fredericum et Reinbodonem „nepotes domni Maguntini“ testes subscriptos invenimus. Fredericum primum et praeter comitatum in Thuringia situm etiam in „pago, qui dicitur Radenzgowe“ bona possedisse et Cunizae filiae comitis Reinbodonis de Giech cognatum fuisse Eberhardi Babenbergensis episcopi diplomate[20]) audimus; a Frederico imperatore comes amicus monasterii Sidikenbischensis[21]) laudatur[22]), cui decem mansos in Overheilengen et Lovingen donavit; inde ab a. 1144 saepius nobis occurrit testis sub Conradi regis, Frederici imperatoris, Henrici et Arnoldi archiepiscoporum Maguntinorum et Marquardi abbatis Fuldensis diplomatis subscriptus[23]); a. 1159 Henricum Leonem

---

17) De situ castri Beichlingen et reliquis comitibus de Beichlingen cf. Leuberi catalogum ap. Mencken S. r. G. 3, 1831 et Falckenstein l. c. 2, 735.

18) 1169. 18. Dec. Erfordiae dato. Schultes d. d. 2, 203 Rein. 1, 52.

19) 1172. mart. 6. Monumenta Patriae. C. d. Sardiniae 1, 243.

20) Schultes historische Schriften 2, 221 et 235.

21) Sittichenbach in comitatu Mansfeldensi.

22) In imperatoris diplomate eidem ecclesiae 1154 apr. 11. Quidelineburc concesso. Boehmer 2335.

23) Testis subscriptus est sub diplomatis.

1144 Febr. 4. Iecheburc. Henrici. Urkundenbuch d. hist. Ver. f. Niedersachsen 3, 11.

1146 Aug. 12. Erfordiae. eiusdem. Schannat, vind. litt. 2, 3.

1147 Apr. 24. Norinbergk. Conradi. Rein 1, 40.

„ Mai 16. Nuenburg. eiusdem. Wolff 1, 103.

„ Iun. 16. Erfordiae. Henrici. Stumpf 39. Rein. 1, 43.

1148 Mart. 21. Maguntiae. eiusdem. Stumpf 40.

1150 Oct. 22. „ „ Gudenus c. d. M. 1, 196.

1153. Apr. 24. Babenberg. Frederici. Boehmer 2325 et 2326.

1155. — — — Marquardi. Niedersaechs. UB. 3, 16.

1157. Iun. 23. Goslariae. Frederici. Niedersaechs. UB. 3, 17.

1157. — — — Arnoldi. Gudenus 1, 228. Schannat v. l 2, 4.

trans Alpes secutus in hac expeditione mortuus est[24]) duobus relictis filius, quos uxor Helenburga[25]) ei peperit, illis quos iam commemoravimus Frederico et Reinbodone. Quos Christianum ab imperatore a. 1171 contra Lombardos trans Alpes missum secutos esse nonnullis archiepiscopi diplomatis cernimus[26]); eos et monasterii Walkenredensis[25]) amicos et monasterii Oldislevensis[27]) advocatos fuisse audimus; Reinbodonis a. 1182 mortui[28]), quem sub imperatoris, Christiani, Theodorici filii Alberti Ursi tabulis subscriptum[29]) invenimus, Fredericus superstes testis complurium diplomatum non modo eorundem virorum, quorum frater, sed etiam Conradi archiepiscopi Maguntini et Wolframi ecclesiae S. Georgii in Uchtrichishusen praepositi occurrit[30]), cum Ludovici Thurin-

---

24) Ann. S. Petri Erphesfusdenses Mon. SS. 16, 22.

25) Nomen uxoris Frederici primi diplomate Conradi archiepiscopi Maguntini cognoscimus a. 1188 dato, quo „notum facit quomodo Regenboto de Bichelingen . . . praesentibus et consentientibus heredibus legitimis matre sua videlicet Helenburge et fratre suo comite Fretherico per manum avunculi sui comitis Erwini B. Mariae in Walkenrith ad usus fratrum perpetuos ibidem Deo famulantium allodium suum Gunzerothe contradidit“ eamque donationem confirmat. Niedersaechs. U. B. 3, 29.

26) cf. n. 29 et 30.

27) cf. diploma Theodorici marchionis, Alberti Ursi filii. Mencken. S. r. G. 1, 619.

28) Chron. Sanpetrinum ap. Mencken. S. r. G. 3, 229.

29) Testis subscriptus est sub diplomatis:

(1168—1170) Christiani. Schultes d. d. 2, 188.
1172. mart. 6. eiusdem. Codex dipl. Sardiniae 1, 243.
„ „ 19. eiusdem Bussi, istorie di Viterbo 399.
1174. Febr. 21. Frederici. Boehmer 2563.
1175. Febr. 24. Christiani Stumpf 87.
„ — eiusdem. Ioannis 2, 522.
„ — eiusdem. Baur, hess. Urkunden 2, 1, 23.
1180. Oct. 9. Frederici. Boehmer 2629.
— — — Theodorici. Mencken S. r. G. 1, 620.

30) Testis subscriptus est sub diplomatis:

(1166—1170.) Christiani. Schultes dir. dipl. 2, 188.

giae comitis provincialis uxore Iutta a. 1169 certasse[31]) et mense decembri[32]) a. 1189[33]) mortuus esse narratur, filio relicto Frederico tertio, quem bello civili miserrimo post Henrici sexti imperatoris mortem patriam dilacerante violentia eminuisse constat. Quibus consanguineis exceptis Christianus habuit duos fratres Hugoldum et Henricum, quorum hunc sub uno solum archiepiscopi diplomate de canonicis Friteslariensibus a. 1171 dato[34]), illum et sub hoc et sub privilegio eodem anno ecclesiae B. Mariae ad gradus in Maguntia sitae concesso[35]) subscriptum invenimus; etiam illorum quibuscum Christianus Venetias a. 1177 venerat comes frater eius fuisse commemoratur[36]). Nunc autem a. Christiani consanguineis ad ipsius viri historiam cognoscendam progrediamur.

1172. mart. 6. eiusdem. Codex dipl. Sardiniae 1, 243.
1172. mart. 19. eiusdem. Bussi, istorie di Viterbo 399.
1175. — eiusdem. Ioannis 2, 525.
1175. — eiusdem. Baur, hess. Urk. 2. 1, 23.
1179. iuli 29. Frederici. Stumpf 92. Rein 1, 57.
1180. oct. 9. eiusdem. Boehmer 2629.
1184. — Wolframi. Stumpf 99. Rein 1, 57.
1184. — Conradi. Stumpf 100. Nieders. UB. 3, 26.
1188. sept. 1. Frederici. Niedersaechs. UB. 3, 28.
1188. — Conradi. Niedersaechs. UB. 3, 29.
(1189) febr. 25. eiusdem (cum filiis suis). Niedersaechs. UB. 3, 32.
— — — Theodorici. Mencken S. r. G. 1, 620.

31) ann. Reinhardsbrunnenses ed. Wegele 40.

32) chron. Sanpetrinum l. c. 231. B.

33) ann. Reinhardsbrunn. 47.

34) Falkenheiner, Geschichte hessischer Staedte und Stifte 2, 173.

35) Ioannis 2, 648. Quod diploma etiam testibus omissis ediderunt: Camici 84 et Buesching 529.

36) In optimo eorum „qui paci interfuerunt“ catalogo, quem chronicon Altinate praebet. Archivio stor. Italiano 8, 176.

II.

Quando Christianus natus sit, quem vitae cursum confecerit ante annum 1160, omnino obscurum est; huius anni vere a papa Victore ad Henricum abbatem Laureshamensem missus est, cui mitram transferret. Ex epistola papae[1]) Christianum tunc Merseburgensis praepositi munere functum esse cernimus. Quo negotio absoluto ad Maguntiam se contulit, ubi ecclesiae B. Mariae ad gradus „ex antiquo lapsae et plurimum deiectae“ [2]) praepositus [3]) erat; hoc titulo significatum testem invenimus sub duobus diplomatis[4]) archiepiscopi Arnoldi. Quem non multo post „grandaevum et plenum dierum“ a Maguntinis in monasterio S. Iacobi octavo sui metropolitanus anno 8 kal. iulii crudelissime occisum esse constat[5]). Perpetrato scelere Maguntini non iuris iurandi ratione habita, quod a. 1157 imperatori iuraverant, „cum clero licet coacto[6])“ Rudolfum fratrem Berchtholdi ducis Zaringiae

1) Codex Lauresham. 1, 259. Iaffé r. p. 9382. C. praepositum Merseburgensem, qui in hac epistola nominatur, eundem esse, qui postea archiepiscopus est creatus, chronicon Sanpetrinum l. c. 220 et chron. montis Sereni demonstrant, quae ubi Christianum archiepiscopum electum esse narrant eum praepositum Merseburgensem significant

2) Quibus verbis utitur Christianus in diplomate a. 1171 dato. Ioannis 2, 647. Similiter iudicant archiepiscopi Arnoldus et Conradus in privilegiis eidem ecclesiae 1160 et 1184 concessis. Ioannis 2, 646 et 650.

3) Ioannis eum nominat in catalogo huius ecclesiae praepositorum eodemque loco narrat: 1160. fratribus donavit parochialem villae Nied. 2, 664.

4) a. 1160 datis. Ioannis 2, 647 et Gudenus 3, 1060.

5) Huius viri mortem copiose neque ineleganter describit martyrium Arnoldi ap. Boehmer, fontes r. G. 3, 270 sq. Recentiorum scriptorum cf.: Wegele Arnold von Selenhofen, Iena 1855 et Reuter l. c. 1, 134 sq.

6) Sic ann. S. Disibodi Mon. SS. 17,29. Martyrii Arnoldi (l. c. 324) scriptor Rudolfum cleri nulla ratione habita esse electum contendit, quocum prorsus non consentit dux Berchtholdus, qui Ludovico regi Franciae scribit, Rudolfum „canonica electione“ esse creatum.

episcopum substituerunt, sperantes huius viri electione imperatoris ultionem se evitaturos esse, cum ille „vir potens in amicis ipsius imperatoris consanguineus propinquus esset“ [7]). Sed frustra Rudolfus non sine magna pecunia, quam bracchio crucis quondam a Willegiso archiepiscopo ecclesiae S. Martini collatae sumpto sibi paraverat, ut iram imperatoris placaret atque quamvis iniuste a sceleratis electus a Frederico et papa Victore probaretur, in Longobardiam profectus est [8]); frustra Berchtholdus dux Zaringiae, ut frater ab imperatore non probatus atque a Victore excommunicatus papae Alexandri auxilio dignitatem, quam illa iniusta electione sibi vindicaverat teneret, Ludovico regi Franciae epistolam scripsit, qua valde petiit, ut ille rex „in omnibus Rudolfi negotiis apud dominum papam Alexandrum et ubique prodesse velit“; frustra Rudolfus ipse in curiam Ludovici se contulit [9]). Alexander eius petitiones non magis exaudivit, quam Victor. Interea iam kal. nov. frater imperatoris Conradus palatinus Rheni et Ludovicus Thuringiae comes provincialis Christianum archiepiscopum Maguntinum creaverunt; sed haec quoque electio neque Frederico neque Victori placuit. Concilio Laudae a. 1161 habito, cui etiam complures Maguntinae sedis suffraganei aderant, Rudolfo et Christiano depositis Conradus Ottonis palatini comitis de Witelinesbach frater archiepiscopus Maguntinus constitutus est et 12 kal. iulii a Victore papa inthronizatus.

---

7) Martyr. Arnoldi l. c.

8) Ad quod impetrandum etiam Berchtholdus dux Alpes transgressus esse mihi videtur; ann. Laudenses. Mon. SS. 18,626 imperatorem contra Mediolanenses ineunte mense aug. esse profectum „cum paucissimis Theotonicis, inter quos fuit dux Bertoldus de Zaringo, qui cum paucis suis militibus ad imperatorem venerat de terra Theotonica cuiusdam sui negotii causa“ narrant.

9) cf. epistolam Berchtholdi ad Ludovicum regem ap. Bouquet 16, 34 et Reuter l. c. 2, 581.

Conradum a. 1161 die 12 kal. Iulii archiepiscopum Maguntinum esse constitutum scripsi, quamquam de hac re neque Stumpfium actis Maguntinis duodecimi saeculi editis de ipsius Conradi historia optime meritum neque Reuterum mecum consentire non ignoro, quorum ille [10]) 12 kal. Iunii 1161, hic [11]) a. 1162 demum id factum esse contendit. Ac sane Stumpfio est concedendum chronicon Sanpetrinum, cuius narratione uberiorem et pleniorem de iis rebus, de quibus agimus, non habemus, 12 kal. Iunii praebere; sed qui hoc accuratius inquirit, eum non dubitare posse puto, quin Reuterus levissimo librarii mendo pro 12 kal. Iulii esse scriptum 12 kal. Iunii recte coniecerit [12]). Nam non modo annales Laubienses Victorem mense Maio [13]) Cremonae concilium coegisse et annales Colonienses maximi [14]) Fredericum 11 kal. Iunii Cremonae curiam habuisse narrant, sed etiam ipsius Victoris epistolam [15]) habemus, qua Eberhardo archiepiscopo Salisburgensi „concilium dominica, qua cantatur: Vocem Iucunditatis (quae erat ipso die 11 kal. Iunii) Cremonae se statuisse celebrandum" scribit. Hoc concilium, quod Cremonae haberi erat dispositum, postremo mense Iunio Laudae esse celebratum annales S. Petri Erphesfurdenses [16]) et annales Laudenses [17]) contendunt, quae accurate quicquid in hoc concilio sit decretum referunt. Denique et compluria papae Victoris diplomata hunc mense iunio ineunte Cremonae, mense iulio Laudae esse moratum demonstrant [18]) et Fredericum cum magna

10) In commentatione: Zur Kritik deutscher Städteprivilegien. Wiener Sitzungsberichte 32, 609 et Acta Maguntina praef. 19.

11) l. c. 2, 582.

12) l. c. 1, 177 n. 2.

13) Mon. SS. 4, 24.

14) Mon. SS. 17, 773.

15) Iaffé reg. pont. 9405. Reuter 1, 174 n. 1.

16) Mon. SS. 16, 22.

17) Mon. SS. 18, 632.

18) Iaffé 9387 sq. Beyer, mittelrheinisches UB. 1, 684 sq.

episcoporum et principum multitudine ipso die 12 kal. Iulii Laudae fuisse privilegium episcopo Brandenburgensi hoc die concessum ostendit [19]).

Qua re minimi momenti excepta prorsus cum Stumpfio consentio, qui non ut Reutero placuit chronicon Sanpetrinum [20]) falsa narrare iudicat. Reuterus eius narrationis, quam hoc chronicon praebet, ratione non habita annales S. Disibodi [21]) secutus Conradum a. 1162 demum archiepiscopum esse constitutum contendit, imprimis epistola Victoris papae permotus. Qui litteris Bisuntii mense anni 1162 septembri datis C. electo Maguntino mandat, ut Conradum abbatem Corbeiensem tueatur. Verba „C. electo Moguntino" ad Christianum referenda esse priores huius epistolae editores [22]) sunt arbitrati, quorum sententiam Reuterus secutus est; dubitari tamen non potest quin ille C. electus Maguntinus sit intellegendus Conradus, idemque ratus etiam qui has litteras nuperrime edidit Philippus Iaffé [23]) „Conrado" scripsit. Deinde hoc est tenendum, annales S. Disibodi, quamvis fontem optimum et maximi momenti ad huius temporis historiam cognoscendam esse nemo neget, saepe tamen quibus annis res sint gestae non recte prodere. Corpora trium magorum a. 1162 Coloniam translata, Fredericum Longobardiam a. 1165 intrasse, Romam ab imperatore a. 1166 obsessam, regem Conradum nativitatem Domini Magdeburg a. 1145 celebrasse falso narrant. Quorum annalium scriptor ipse Conradum ar-

---

19) Boehmer 2445. Etiam diploma imperatoris 10 kal. Iulii Laudae datum nobis est conservatum. Boehmer 2446. Duo alia quoque diplomata Frederici sub quibus quo die sint data scriptum non invenimus, hoc tempore esse data utriusque subscriptione demonstratur: Data Laudae in generali concilio. Boehmer 2447 et 2448. Falso igitur Erhard c. d. Westfaliae 2, 96 illud a. 1162 tribuit.

20) l. c. 220.

21) l. c. 30.

22) Martène et Durand, ampl. coll. 1, 865. Iaffé. r. p. 9402.

23) Monum. Corbeiensia (Bibl. Germ. 1) 603.

chiepiscopum esse constitutum refert „cum electione priorum ecclesiae Magontinae, qui tunc inibi plures praesentes affüerunt"; quid verisimilius est, priores, de quibus ille agit, decem suffraganeos Maguntinae sedis esse, quos concilio Laudensi affuisse annales S. Petri Erphesfurdenses [24]) narrant, quorum complures testes sub imperatoris diplomatis eo tempore datis [25]) subscriptos invenimus. Annalium Erphesfurdensium codices 2 et 3 praeterea Conradi electionem a. 1161 tribuunt nec minus distincte chron. montis Sereni dicit: 1161. Duo electi Moguntini deponuntur et Conradus Salzburgensis canonicus regularis substituitur [26]). Maguntinae ecclesiae rerum concilio Laudensi mentionem esse factam etiam annalibus Laudensibus comperimus, quae omnes, qui Arnoldum Maguntinum interfecerant eiusque mortem comprobaverant, excommunicatos fuisse referunt [27]). Denique ipsius Conradi nonnulla diplomata nostram sententiam firmant. quorum subscriptiones has invenimus:

Acta sunt haec a. incarnationis 1190 ind. 8 4 kal. martii a. nostrae electionis 29, 7 vero a. post exilium. Gudenus 1, 295.

A. s. h. a. incarn. 1192 ind. 10 electionis in archiepiscopatum 32 exilii vero 28 reversionis 9. Data Erphordiae 3 id. nov. in die S. Martini Gudenus 1, 315. Schannat, v. l. 2, 6.

A. s. h. a. incarn. 1194 ind. 12 pontificatus nostri a. 34, post exilium 11. Gudenus 1, 328. — A. s. h. a. incarn. 1194.

---

24) Mon. SS. 16, 22.

25) Boehmer 2445—2448. Laicorum principum sub his diplomatis subscriptos invenimus: Conradum palatinum de Reno, Ludovicum provincialem comitem Thuringiae, Fredericum Sueviae ducem, Henricum Carinthiae ducem, Ottonem palatinum, Theodoricum marchionem ....

26) ed. Eckstein p. 31.

27) Etiam annales Laudenses concilio Christianum et Rudolfum esse depositos narrare fortasse aliquis coniiciat; ipso loco enim, quo annales de episcopis concilio depositis dicunt, lacunam codices habent.

ind. 12 pontificatus nostri a. 34 post exilii reditum a. 11. Gudenus 3, 856. — A. s. h. a. incarn. 1196 ind. 14 a. nostrae electionis in Mog. archiepiscopatum 36 exilii 32 reversionis ab exilio 14. Stumpf A. M. 128.

Quarum subscriptionum cum omnes numeri optime congruant, si Conradum a. 1161 mense iunio esse electum statuimus, non timeo ne quis mihi opponat, unum Conradi diploma[28]) nobis occurrere, quod nostrae sententiae repugnet, ita subscriptum:

Acta s. h. a. incarn. 1189 ind. 8 a. electionis 28 restitutionis 7, data 4 kal. nov.

Nam quam saepe in ipsis numeris scriptis librarii erraverint et omnino constat et hoc ipso loco planissime demonstratur novem aliis Conradi diplomatis[29]) similiter quidem subscriptis, sed ad diiudicandum quo anno Conradus electus sit non idoneis, quae numeros incarnationis, indictionis, exilii et reversionis annos inter se repugnantes praebeant. Quae omnia qui consideraverit eum non dubitaturum esse spero, quin Conradum anni 1161 mense iunio archiepiscopum Maguntinum esse constitutum recte scripserim.

Qua causa permotus Fredericus Christianum electum non probaverit, inscii coniicere solum possumus, imperatorem seditiosae urbis dominum neminem esse constitutum voluisse nisi qui et canonice et imperatore praesente atque auctore sit electus, deinde Conradum palatinum Rheni Christiani patronum quominus quem creaverat probaretur ipsum impedimento fuisse. Conradus enim quamquam princeps po-

---

28) Wolf, Geschichte des Eichsfeldes 1 UB. 14.

29) His annis datis, si numeros incarnationis anni sequimur: 1181. Stumpf A. M. 96—1193. Gudenus 1, 323 et Stumpf 121. — 1194. Avemann, Reichs- und Burg-Grafen zu Kirchberg. Anhang 193. et Wenck hess. Landesgesch. 3, 90.—1195. Stumpf 123. — 1196. Stumpf 132. — Gudenus 1, 331. — Niedersaechs. UB. 3, 36.

tens ac Frederici frater non modo Reinaldo archiepiscopo Coloniensi, quo neminem apud imperatorem consiliis magis valuisse constat, inimicus erat[30]) sed etiam hoc ipso tempore cum Hillino archiepiscopo Trevirensi certabat[31]), cui quomodo Victor papa faverit privilegia maximi momenti hac aestate ei concessa[32]) demonstrant. Quas non nisi coniecturas esse non nescii unum tantum tenemus, imperatorem, cum Christianum archiepiscopum Maguntinum non probaret, ei ipsi hac repulsa aegre ferre noluisse. In Germaniam enim proximi anni auctumno reversus eum cancellarium, cuius munere Ulricus inde a Reinaldo archiepiscopo electo est functus, creavit[33]), ac trium annorum spatio nondum intermisso Christianus Conradi loco archiepiscopus Maguntinus ipso Frederico auctore est constitutus. Conradus enim Victore papa mortuo, ut Alexandro papa probato ecclesiae pacem redderet, imperatorem hortatus erat[34]); Fredericus tamen non modo, Paschalem quem Reinaldus anti papam constituerat, probaverat, sed etiam in magna curia Wirzeburgi a. 1165 celebrata et ipse Rolandum vel eum, quem ipsius pars elegerit, nunquam se recepturum neque ad eum recipiendum unquam alicui assensum praebiturum, Paschalem semper promoturum esse iuraverat et omnes principes idem iurare iusserat. Quod Conradus cum facere noluisset, in Franciam ad Alexandri, cui iam a. 1164 obedientiam fecerat, curiam aufugerat[35])

---

30) Ficker, Reinald 39 et 69.

31) 1161 kal. Sept. Fredericus controversiam composuit, „quae inter familiarissimos et carissimos principes nostros videlicet Hillinum et fratrem nostrum Conradum iam diu agitabatur. Boehmer 2449. Beyer l. c. 687.

32) Beyer l. c. 685 et 686.

33) Primum diploma, quod recognoscit, 5 kal. dec. 1162 datum. est. Wolff 1, 134. Boehmer 2471.

34) Ep. amici. Thom. Cantuar. epp. ed. Giles 2, 264.

35) Ann. Reichersperg. Mon. SS. 17, 472. — Ann. S. Petri Erphesfurdenses Mon. SS. 16, 23.

Christianus autem qui novam dignitatem illis rebus meruerat, quas pro Paschali interea in Italia gesserat, creatus quidem iam anni 1165 mense septembri [36]) archiepiscopatu Maguntino a. 1166 exeunte vel a. 1167 ineunte demum in territorio Brixiensi investitus est atque mense martio demum anni 1167 consecratus [37]). Quod factum est in tertia expeditione ab imperatore in Italiam facta, in qua Christianus ingenti Romanorum exercitu devicto summam gloriam sibi comparavit.

III.

De victoria a Christiano et Reinaldo archiepiscopo Coloniensi apud Tusculanum reportata.

Imperator ut quae in curia Wirzeburgensi decreta erant perpetraret atque Paschalem papam suum Roma Alexandro ex ea urbe expulso poneret, exercitu octobri a. 1166 Augustae, quo cum alii tum Christianus [1]) copias suas duxerant, congregato per vallem Tridentinam [2]) et Valcamonicam [3]) Lombardiam est ingressus. Postquam exercitum suum cum Rei-

36) Imperatoris diploma habemus 13 kal. oct. 1165 datum, quod Christianus cancellarius recognovit; sub Frederici diplomate 8 kal. oct. eiusdem anni dato, versione tantum nobis conservato subscriptum invenimus: Ich Heinrich oberster Schreiber an Christians eines erwelten erzbischofs zu Menzen und erzkanzeler stat an diesem brief bekannt. Chmel, reg. Ruperti 187. Itaque inter diem 19 et 24 mensis sept. Christianus est electus.

37) Vincentius Pragensis Mon. SS. 17, 683.

1) Sub duobus imperatoris diplomatis diebus 15 et 16 mensis oct. Augustae datis subscriptus est Boehmer 2520 et 2521. Christianum ab imperatore esse praemissum, chron. Urspergense (ed. 1609, 224) narrat; recte necne est dubium sed manifestum Christianum paucis tantum diebus post Fredericum egressum iudicandum esse, cum imperator iam pridie kal. nov. Tridenti moraretur. Boehmer 2522.

2) Boehmer 2522. — Ann. Colon. max. M. SS. 17, 780.

3) Vita Alex. ap. Watterich v. p. 2, 402.

naldi archiepiscopi Coloniensis, qui iam ante imperatorem Alpes transgressus pridie kal. nov. Ypoream pervenerat[4]), copiis iunxit, in territorio Brixiensi[5]) castrametatus est, ubi ut supra diximus Christianus archiepiscopatu Maguntino investitus est. Laudae magnum colloquium Germanorum et Lombardorum imperator habuit, ubi et Lombardi de Frederici missis et procuratoribus valde conquesti sunt[6]) et de certamine, quod inter Ianuenses ac Pisanos iam diu agitabatur, decretum est, ut imperator Reinaldum Ianuam Christianum Pisas mitteret, qui in ipsis civitatibus earum controversias componerent[7]). Hoc quoque tempore Fredericus, Christiano adhortante principes Paschali iterum fidelitatem iurare iussit hoc apposito, „quod nullus eorum unquam absolutionem eius iuramenti expeteret, oblatam nunquam reciperet“[8]). Ineunte a. 1167 3 idus ianuarii imperator castra movit[9]) et per Placentiam[10]), Ferrariam[11]) atque Bononiam[12]) venit Imolam. Ubi sabbato die 12 id. martii Hermannus Verdensis episcopus Christianum in presbyterum, proximo dominico die Daniel Pragensis episcopus eundem in archiepiscopum consecravit[13]). Quibus absolutis imperator

4) Ann. Colon. max. l. c.

5) Vincentius Pragensis l. c. — Vita Alex. l. c.

6) Ann. Laudenses. Mon. SS. 18, 645.

7) Ann. Ianuenses. Mon. SS. 18, 71—73.

8) Appendix ad Radevicum ed. Urstisius 1, 559.

9) Ann. Laudenses l. c.

10) Vincentius Pragensis. Etiam diploma in „episcopatu Placentino 10 kal. Febr. a. 1167 datum“ habemus, quo imperator „interventu et petitione reverendissimi principis nostri Christiani Maguntinae sedis electi et nostri palatii ... archicancellarii“ Rainerio filio Berlingerii de Ricasolis concedit, quicquid iuris et rationis imperium in castellis Campi et Tormeni habet. Camici 77. Buesching 524. Boehmer 2523.

11) Vita Alex.

12) Vita Alex. — Ann. Laudenses. — Vincentius Prag.

13) Vincentius Prag.

ipse versus Anconam oppidum et situ et pecunia, quam Manuel Graecorum imperator civibus dederat, valde munitum proficiscens Reinaldum (aliter ac Laudae decretum est) Pisas, Christianum Ianuam misit, qui illarum civitatum controversiis compositis „exercitui viam versus Romam praepararent“ [14]) et „Paschali papae auxilium praestarent“ [15]). „Qui tamquam piscatores optimi Domini per Lombardiam rete suum extendentes Maguntinus usque Genuam Coloniensis usque Pisam inde per totam Tusciam usque Romam innumerabilem praedam marcarum ad stipendia militum ceperunt“ [16]). Reinaldus autem, postquam ante Christianum in regiones Romae vicinas venit, a Pisanis adiutus civitatem Veterem cepit [17]); tum arcem Tusculanensem, cuius dominum Raynonem imperatori semper fidelem Romani aggressi erant [18]), intravit. Quamquam enim, cum Roma „si inveniret emptorem etiam tunc se venalem praeberet“, nonnullos Romanos pecunia movit, ut Paschali et imperatori fidelitatem iurarent [19]), plerique Romani tamen Frederico infensi, cum Christianum et Reinaldum contra urbem missos esse audiissent, eos deriserunt: „Bene habeat imperator, inquiunt, quod duos presbyteros suos et diaconos ad cantandam Romanis missam direxerit. Veniant, veniant, cantent sed aliter eis ad cantandum transponemus ordinem“. Exercitu ingenti congregato [21]) sabbato pridie pentecostes

---

14) Vincentius Prag.

15) Vita Alex.

16) Vincentius Prag.

17) Marang. chron. Archivio stor. Ital. 6, 2, 47.

18) Vita Alex. 404.

19) Vita Al.

20) Vincentius Prag.

21) Scriptores diversos numeros Romanorum praebent; Reinaldus in epistolae initio 30.000, in fine 40.000 indicat., ann. Laudenses plus quam 40.000, ann. Magdeburgenses (Mon. SS. 16, 192) ad 40.000, ann. Colon. max. 42.000.

egressi [22]) Tusculanensium vineas et olivas penitus vastaverunt atque sancto die pentecostes [23]) in montis Porcii [24]), in quo erat Tusculanum, radicibus castra collocarunt. Reinaldus autem intra muros se continuit sperans Christianum, quocum iam pridem eum pactum esse, ut hoc ipso loco copias coniungerent, Reuterus recte coniecit [25]), mox auxilium esse laturum. Quod exspectavit, evenit; die sequenti [26]) 4 kal. iunii Christianus et milites eius ac Brabantini circa horam nonam [27]) fessi nimis ex itinere [28]) advenerunt.

Reinaldum intra muros se continuisse non ut annales Colonienses maximi dicunt „propter reverentiam sacrae diei" sed propter cladem antea a Romanis acceptam Watterichius recte mihi coniecisse videtur, [29]) quamquam de ea re, qua imprimis permotus ille hanc coniecturam protulit, cum illo non consentio. Ottonis Sanblasiani enim, ad quem ille quasi ad optimum sententiae suae testem provocat, narrationi cum ab aliis viris doctis tum ab Watterichio nimium auctoritatis esse attributum, infra demonstrare studebo. Alia sunt, quae me moveant, ut Reinaldum iam ante pugnam Tusculanen-

---

22) Ann. Colon. max.

23) Ep. Reinaldi.

24) Ep. Reinaldi. — Nomen montis afferunt: Sicardus Cremon. ap. Muratori 7, 599, chron. Urspergense et chron. Tolosani ap. Mittarelli, access. Faventinae 60.

25) l. c. 250 n. 1.

26) Hoc die victoriam a Germanis esse reportatam ep. Reinaldi, ann. Colon. max., ann. Floreffienses. Mon. SS. 16, 625, ann. Cameracenses. Mon. SS. 16, 539, ann. S. Petri Erphesfurd. Mon. SS. 16, 23, ann. Magdeburg et Marangonis chron. referunt. Hist. Farfenses (M. SS. 11, 590) pugnatnm esse: 1169 Cal. Iunii feria secunda post pentecosten, chron. Fossae novae (Murat. 7, 873) 3 kal. Iunii, ann. Placentini (M. SS. 18, 413 et 462) mense Iunio falso narrant.

27) Ep. Reinaldi. — Codex Estensis Sicardi Cremonensis. — Vita Alex.

28) Ep. Reinaldi. — Ann. Col. max.

29) Vitae pontif. 2, 561 n. 2 et 5.

sem cum Romanis manus conseruisse atque victum esse censeam, praesertim illa quae annales Cameracenses[30]) narrant. Quae postquam Fredericum nonnullos principes contra Romanos misisse rettulerunt, ita dicunt: „Romani valde superbia inflati nec solum dignitate et gloria sed etiam in multitudine sua gloriantes ante pentecosten audacter egressi ex propriis muris cum vexillis ac buccinis aciem contra partem exercitus imperatoris direxerunt et proelium commiserunt. Ad horam tandem praevaluerunt, quosdam occiderunt, quosdam autem manu ceperunt et ludibria sua ignominiose de quibusdam militibus captis gesserunt sicque cum tripudio maximo in urbem sese receperunt; inde fit ingens foris planctus et magnus intro plausus. Dispendium vero huius certaminis Coloniae archiepiscopo ac exercitui eius in primis contigit". Quem a Christiano adiutum secunda feria post pentecosten Romanos devicisse deinde narratur. Quae annales Cameracenses referunt, ea non ficta esse aliis fontibus demonstratur. Reinaldus ipse in litteris de Tusculanensi pugna scriptis loquitur de „tribus nostrorum capitibus, in priori abscissis conflictu". Annales Stadenses quoque, postquam Reinaldum et Christianum contra Romanos esse missos narraverunt, sic referunt[31]): „Romani hortatu Alexandri faciunt impetum in exercitum et pluribus occisis super hastas figunt capita occisorum. Reinaldus Coloniensis et Christianus Maguntinus electus proelium instaurant, hostes invadunt". Cui narrationi convenit, quod in chronico Sanpetrino[32]) legimus, quamquam huius scriptorem falso Christianum primi quoque proelii participem significare non nego. Denique ad annales Placentinos[33]) ut sententiam meam firment provoco, quibus apud Tusculanum „duabus vicibus pugnatum esse" comperimus.

---

30) Mon. SS. 16, 539.
31) M. SS. 16, 345.
32) ap. Mencken S. r. G. 3, 222.
33) M. SS. 18, 413 et 463.

Inter Reinaldum et Christianum antea convenisse, ut prope ipsam arcem Tusculanensem copias suas iungerent, Reuterus ut supra dixi recte mihi coniecisse videtur. Minime tamen huic sententiae alia convenit, quam Reuterus protulit.[34] Is enim Ottone Sanblasiano auctore Christianum Reinaldo, qui summis angustiis pressus nuntios auxilium petituros Anconam misisset, ab hac ipsa urbe, postquam cum maiore exercitus parte copias iunxisset, suppetias profectum esse contendit. Sed Vincentius Pragensis — id quod iam Fickerus recte monuit[35] — Christianum tunc non Anconae obsidioni adfuisse sed in Etruria commoratum esse tradit[36] qua in re annales Laudenses[37] et Ianuenses[38] Slavorumque chronicon Helmoldi[39] cum eo consentiunt,; tum vel maxime annalium Magdeburgensium scriptor[40] diserte et plane dicit, absente atque inscio imperatore pugnam factam esse. Et profecto Vincentium magnae nobis fidei scriptorem esse nemo infitias iverit. Nam ut omnino de Frederici secunda expeditione in Italiam facta optima tradit, ita ipse eas de quibus agimus res praesens vidit. Neque neglegendum est, illum ut videtur dominum suum Danielem episcopum Pragensum tunc comitatum esse et eo multum usum. Quo cum accedat, quod quo loco quo tempore singula quaeque res facta sit, diligentissime tradit, supervacaneum fortasse alicui videatur, quod ipse narrationi suae adiungit: Quod scimus, inquit, loquimur et quod vidimus scriptis mandamus. Con-

---

34) l. c. 2, 250 n. 2.
35) l. c. 109 n. 3.
36) l. c. 683.
37) l. c. 651.
38) M. SS. 18, 74.
39) lib. 2 cap. 10.
40) M. SS. 16, 192.

tra hunc scriptorem tam egregiis virtutibus insignem Reuterus provocat ad Ottonem Sanblasianum. Is enim capitis vicesimi initio [41]) haec narrat: „Imperator Apenninum transiens ac per Tusciam exercitum ducens in marchiam Anconitanam divertit et Anconam urbem rebellem obsidione cinxit. Interea Reginoldus Coloniensis archiepiscopus antea pro negotiis imperii ab eo digressus, dum cum sua militia rediret ad cesarem, in castrum Tusculanense iuxta Romam aliqua tractaturus divertit. Quod ab exploratoribus Romae compertum, Romani tota urbe effusi et ad triginta millia pugnatorum computati, archiepiscopum in castro in ignominiam cesaris obsidione derepente concludunt. Quod imperatori Anconae nuntiatum convocatis principibus, utrum archiepiscopo dimissa Anconitana obsidione subveniendum esset necne, consulit. Quod a quibusdam principibus et maxime laicis, sinistram famam de obsidione solvenda metuentibus dissuadetur. Hac dissuasione principum egregius archiepiscopus Maguntiae Christianus accensus, indigne ferens, quod laici principes se suosque compares ita parvipensos periculo relinquerent, convocatis suis omnibus et aliis, quos prece vel pretio potuit adipisci, quingentos milites et sariandos octingentos ad bellum instructissimos coadunavit sicque contra Romanos versus Tusculanum ad liberandum archiepiscopum iter flectit.“ Haec Otto Sanblasianus. Quae contra eum monenda sint, nunc videamus. Quadraginta annos, postquam res factae sunt, chronicon condidit, saepe sane procul dubio bonis fontibus usus est, de iis rebus de quibus agimus non usus esse videtur. Narrat Otto, imperatorem per Tusciam exercitum duxisse, Reinaldum iam ad illum redeuntem in castrum Tusculanense „aliqua tractaturum“ divertisse; nescit etiam Christianum Imolae imperatorem reliquisse, et omnino, quae totius belli ratio descripta

41) Boehmer, fontes 3, 597.

fuerit. Imo vero ille ita rem animo informavit, ut putaret, Frederico Anconam obsidente cum exercitus pars fortuito atque adeo invita cum Romanis manus conseruisset et victrix e pugna eradisset, maiorem etiam illam exercitus partem tradita Ancona contra Romam esse profectam. Quo modo res factas esse si Otto arbitrabatur, non potuit non persuasum habere, Christianum Anconae obsidioni adfuisse usque ad pugnam Tusculanensem. Sed cum adprobe sciat, Christianum huius pugnae participem, principes laicos non participes fuisse, hos imo et Anconae obsidione non destitisse et Reinaldo nonnullis de causis nequaquam bene cupiise, Reinaldum denique parvis tantum copiis instructum ab Romanis magnopere pressum atque vexatum esse: cui quaeso temeritatis et audaciae culpam in nos convertere videamur, si Ottonem his omnibus rebus inter se coniunctis eam quam tradit narrationem conformasse contendimus, praesertim cum nequaquam quae quoque anno sint facta ieiune et exiliter annotare, sed quo vinculo res inter se aptae teneantur, quibus causis homines quorum facinora describit permoveantur, enarrare soleat [42]). Quae cum ita sint, unusquisque profecto intelleget, eam sententiam nequaquam probabilitatis nedum veritatis speciem habere, quae nitatur tali fonte unico. At alius etiam scriptor exstat, cuius testimonio Reuterus non usus est, qui ipse quoque tradit Reinaldum a Romanis pressum nuntios in imperatoris castra auxilium petituros misisse, quo facto Frederici iussu Christianum ei subvenisse. Est narratio scriptoris annalium Egmundanorum [43]). Sed tantum abest, ut veritatis numeros in se habeat, ut, si perlegimus, ea easdem de quibus agimus res describi vix intellegamus.

---

42) Sic in hoc capite, quibus causis et Christianus et principes laici sint permoti, explicat; sic veterum exemplar secutus orationes narrationi suae inserit.

43) Mon. SS. 16, 465.

Non Tusculani sed Viterbii Reinaldus obsidetur; cum Reinaldo est dux Rothenburgensis, quem Reinaldo non subvenisse certissime scimus[44]; Christianus ipse populares suos a sexaginta millibus Romanorum obsessos miseria et angustiis liberare non potest; hi desperatione fortes atque audaces ex urbis portis foras se erumpunt, summa vi cum hoste contendunt, vincunt. Quam narrationem ne minimam quidem fidem habere nemo non videt, sed quod illis temporibus fuerit studium et alacritas fabularum contexendarum, luculento exemplo comprobatur. At Reuteri sententiam edictum Ariminense 10 kal. aprilis episcopi Ariminensis domo datum[45], in cuius fine inter aliorum testium nomina etiam Christiani nomen invenitur, primo saltem conspectu ita comprobare videtur, ut cum Reutero facere iure nemo dubitare possit. Nam si Christianus mense Martio exeunte non Ianuae vel in Tuscia, sed in ipsius imperatoris exercitu erat, Vincentius Pragensis falsa nobis tradidit, omnia cum Ottonis narratione congruerunt Neque vero quisquam ni fallor adhuc illud diploma spurium esse suspicatus est: Stumpfius saltem attulit nihil adscribens. At profecto si quis accuratius spectabit, non suspicabitur solum, sed persuasum habebit re vera illud diploma esse spurium. Nam ne nimis premem mirum esse, quod in initio et imperator domini principis nomine appellatur et sancta virgo commemoratur, testium nominibus quae subscripta sunt omni auctoritate et fide carere illud diploma egregie demonstratur. Nominantur enim inter eo numero Philippus Coloniensis archiepiscopus et Godofridus imperialis aulae cancellarius, quorum alter demum post Reinaldi mortem archiepiscopus, alter post nonnullos demum annos cancellarius creatus est. Neque vero unicum illud diploma est, quod in Ariminensium diplomatum saeculo duodecimo datorum nu-

---

44) Ann. Laudenses l. c.
45) Tonini, Rimini 2, 585.

mero spurium inveniatur; imo vero exstat diploma Frederici a. 1157 datum [46]), cui subscriptum est: Ego Ulricus c.. llarius vice Rainerii Coloniensis archiepiscopi et archicancellarii recognovi; nemo autem nescit neque Rainerium i. e. Reinaldum archiepiscopum neque Ulricum cancellarium hoc anno fuisse. Quae cum ita sint ne illo quidem diplomate Reuteri sententia confirmatur et comprabatur.

Reuteri autem sententiam Ottonis Sanblasiani narratione nisam idcirco ita accurate et copiose refutare studui, quia si re vera refutassem eorum, qui pugnam Tusculanensem describunt, scriptorum recte diiudicandoıum ansam me invenisse arbitrabar. Diversae enim sunt narrationes. Nam non tantum omnibus fere illorum temporum annalibus breviter commemoratur pugna Tusculanensis, verum etiam exstant libri in quibus copiosius et plene describitur.

Quo in numero pauca tantummode tradit cardinalis Bosonis narratio in vitam Alexandri tertii inserta [47]), quae tamen quia scriptor solus a papae partibus stat, haud indigna est cognitu. Reinaldus deinde ipse litteris et Coloniensibus et Leodiensibus scriptis [48]) de victoria, quam reportaverat, rettulit. Ut autem certissime constat Reinaldum de omnibus quaecumque facta essent optime novisse, quippe qui totius belli auctor et dux esset, ita id potissume eum egisse nemo negaverit, ut cum Germanorum fortitudinem tum vel maxime Coloniensis cohortis quam maxime laudaret. Quare fit, ut quae Christiani virtuti tribuenda sunt paene nimis neglegantur. Neque minus cavendum est ne quae de numero occisorum Romanorum tradit credamus, praesertim cum anna-

---

46) Tonini, Rimini 2, 576.

47) Vita Alex. ed. Watterich v. p. 2, 405.

48) Sudendorf registrum 2, 146. Messager de Gand 5, 39. Excerpsit epistolam continuator secundus Gestorum abbatum Trudonensium Mon. SS. 10, 351.

libus Laudensibus non verum esse, quod etiam Reinaldus affert, ne unum quidem Germanum in pugna initio tam aspera cecidisse demonstretur. A qua narratione non multum abhorret annalium Coloniensium scriptor[49]), qui illa in ipsius libro pangendo certissime usus est; at est tamen, et ubi de suo novas res addat, et ubi archiepiscopi sententia esse discedendum censeat. Sic ut exemplum afferam solus quo die Romani urbe profecti sint tradit et contra Reinaldum quadraginta duo millia cum centum quadraginta militibus Coloniensibus pugnasse contendit. Quibus omnibus multo integrior est annalium Laudensium scriptor,[50]) qui quae Otto et Acerbus Morena inceperunt continuavit. Et profecto eo maiore auctoritate est, quod non solum veritatis dicendae studio et amore incensus est, sed etiam utpote utriusque exercitus milites perscrutatus[51]) optima et verissima quaeque tradere non nequibat. Quamquam a parte imperatoris stat, tamen eum hoc permoveri, ut de hostibus falsa tradit, nemo demonstrare poterit; numerum interfectorum et captorum Romanorum ab ipsis accepit; quare multo minores sunt eius quam omnium fere aliorum numeri. Quae cum ita sint, rectissime doletur nullum librum nos habere, qui Christianum potissume quae egerit spectet. Sed nuper tali consilio Ottonis Sanblasiani narrationem esse positam exstitit, qui contenderet; quid quod illum ipsius Christiani commentariis quibusdam de Frederici primi vita scriptis quasi fontibus usum esse non defuit, qui diceret.[52]) Sed opinio haec omni caret

---

49) Mon. SS. 17, 780.

50) Mon. SS. 18, 651 et 652.

51) Ubi quot in archiepiscoporum, quot in Romanorum exercitu fuerint indicat, dicit: „Sicut in veritate mihi ab his, qui in exercitu ipso fuerunt, relatum fuit“ et: „Sicut in veritate ab illis, qui tunc ibi in illo exercitu aderant, mihi relatum est“.

52) Papencordt, Gesch. von Rom. 272. Cui assentitur: Watterich 2, 561 n. 5.

verisimilitudine. Etenim vix dubium videatur, quin Christianus eiusmodi libellos non scripserit. Nam si Otto talis auctoritatis narratione esset usus, valde mirum esset, nusquam ipsum eam nominare. Accedit quod nullus aequalium scriptorum talis libri a Christiano, qui tam saepe commemoratur, confecti mentionem facit; imo vero qui primus et unus de illo loquitur est Trithemius iste Hunibaldi scriptor et Megenfridi inventor, quo minorem quemquam habere auctoritatem nemo dicat. Suo iure igitur quamquam, qui nuperrime proelium Tusculanense descripserunt,[53]) illius opinionis rationis non habuerunt, narrationes suas tamen Ottonis Sanblasiani auctoritate ponunt; quin etiam Fickerus, qui maximi momenti esse annales Laudenses et Reinaldi epistolam primus vidit, Ottonis tamen auctoritatem magis iusto sequitur. Concedit quidem, ab Ancona Christianum Reinaldo subvenisse falso tradere Ottonem, sed quae apte ea cum re coniuncta ille narrat de concilio Anconae habito, pro vero accipit; existimat quidem, quas orationes Otto perscripsit, eas habitas non esse, sed recepit in narrationem. Causam autem si quaerimus, qua permoti sint scriptores, ut Ottoni tantam fidem tribuerent, dicendi genus ei est non inelegans, verbis expeditum, quod orationibus sit ornatum ad veterum Romanorum et Graecorum imaginem expressis. Eadem causa veterum imitatione fit, ut scribat de sagittis lucem diei in modum nivium obtenebrescentibus. Sed narrationem accuratius spectanti mirum profecto videatur necesse est, quod is scriptor, qui verba ducis memoria teneat, de anni tempore, de pugnae die nihil tradit, quod etiam Frederici in urbem ingressum post pugnam factum a. 1166 tribuit. Neque minus veritas dicendi et narrandi artificii causa neglecta videtur esse, fortasse ut loco quodam pulchro ex alio libro desumpto utatur scriptor, si Christianum pau-

---

53) Reuterus l. c. et Gregorovius, Gesch. von Rom. 4, 541.

cissimos quos habebat, ut ipse dicit milites „qui primi committant, qui consertos hostes a latere irrumpant, qui subsidia pondere proelii laborantibus ferant" ordinantem disponentem et semet ipsum ad ferenda cum lectissimis subsidia collocantem describit. Fickerus deinde recte offendit in orationibus et in Romanorum sepultura; de sepultura etiam Reuterus cum eo consentit. Supra denique Ottonem initio narrationis sententiam, quae ab ipso nuntiis variis inter se coniunctis conformata sit, pro vera tradere re vidimus. Nec deest, ubi egregie eum errasse perspicuum est. Nam non modo Christianum, quem ipso demum certaminis die ad locum, ubi pugnatum est, pervenisse Reinaldi epistola certissime scimus, eo die quo pervenerit prope Tusculanum nihil fecisse refert nisi ad quietem exercitus sui Romanos per internuntios interpellasse; sed etiam eodem capite narrat, cum imperator mense augusto summa calamitate fractus esset, Lombardos denuo animum redintegrasse, Mediolanenses in urbem rediisse; nescit igitur, hos iam mense aprili exeunte in urbem revertisse. Ergo ut summam faciamus, haec omnia quae diximus, reputanti et consideranti dubium esse non potest, quin Otto Sanblasianus nonnullis sane veris atque bonis nuntiis instructus, aliqua sane rerum tunc gestarum imagine animo imbuta, studio deinde incensus rerum et virorum causas, quibus permoveantur, depingendi et narrationem eleganti dicendi genere illustrandi, quin Otto ita falsa veris misceret, ut nos quid falsum quid verum intellegere non possimus. Quare errant vehementer, qui Ottonis narrationem Reinaldi litteris et annalibus Laudensibus aut pluris faciant aut saltem atque haec auctoritate esse contendant; imo vero Reinaldi litteris, potissume autem annalibus Laudensibus omnis fides in narranda pugna Tusculanensi est tribuenda.

Sed iam fontibus diiudicatis revertamur eo, unde egressi sumus, ut res ipsas, quomodo sint factae, describere conemur. Etiam postquam Christianus Reinaldo subvenit, tamen Ro-

mani numero Germanis tanto praestiterunt, ut victoria vix speranda esset: ne mille quidem equites [54]) in Reinaldi exercitu erant. Ducum munere fungebantur praeter archiepiscopos duos Philippus cancellarius [55]), Alexander episcopus Leodiensis [56]), Robertus de Bassavilla, comes Macharius [57]), Andreas de Rupecanina [58]), Rayno de Tusculano [59]). Christiani milites, qui vix fessi itinere advenerunt, etiamtum in eo occupati erant, ut castra prope Romanorum exercitum ponerent [60]), cum Romani ordinatis agminibus in illos irruerunt. Illi, ut erant fessi itinere, impetum sustinere vix potuerunt [61]) quamquam viriliter se defendentes. Sed tum Reinaldus [62]), cum adprobe intellegeret gladio et ferro solo salutem Germanorum positam esse, vexillo in manus accepto [63]) suis hostium invadendorum signum dat. Colonienses autem claris vocibus cantum illum „Christus qui natus etc. clamitantes summa vi in hostes irruunt Tusculani munitionibus relictis. Romani impetu turbantur, Brabancones „animos resumentes" rursus hostes invadunt [64]), neque hi neque illi prius desistunt quam prius equites [65]), deinde totum exercitum in fugam profligarunt [66]) et usque ad Romae portas persecuti sunt.

---

54) Ann. Laudenses.

55) Ep. Reinaldi. — Ann. Colon. max.

56) Sigeberti auct. Aquic. Mon. SS. 6. 398.

57) Ann. Laudenses.

58) Romuald. Salern. ap. Muratori SS. 7. 208.

59) Vita Al.

60) Ep. Reinaldi.

61) Secutus sum annales Laudenses, quamquam non ignoro ab Reinaldo fugisse iam Christiani milites, cum ipse advenisset, narrari. Quae scripsisse eum, ut ipsius gloriam augeret, perspicuum est. Cum Reinaldo consentiunt ann. Colonienses et ann. Magdeb.

62) Ep. Reinaldi. — Ann. Colonienses max.

63) Ann. Laudenses. — „vexillo beati Petri previo" ann. Magdeb.

64) Ep. Reinaldi. — Ann. Colonienses.

65) Ann. Laudenses.

66) Ann. Laudenses.

Summam autem gloriam Brabancones virtute et pertinacia persequendi sibi compavaverunt[67]. Caedes magna facta est: millia[68] Romanorum interfecta, duo cardinales occissi[69], millia capta et in Viterbii carceres missa sunt, in quo numero erat Ottonis Frangipani filius[70], quem pater frustra magna interposita pecunia solvere studuit. Neque minus grata praeda erant castra Romana armis, loricis, vestibus, equis, mulis, pecunia haud parva repleta; quae omnia equites, gloria contenti, copiis stipendiariis concesserunt[71]. Roma autem vix modus desperandi, diei Cannensi pugna comparari[72], lamentari per plateas et cum fletu luctuque queri omnes; quin etiam Alexander lacrimas tenere non potuit[73]. Imperator autem laeto victoriae reportatae nuntio accepto[74])

---

67) Ann. Laudenses.

68) De numeris occisorum et captorum Romanorum diversa nobis praebent scriptores. Ann. Oberti. (M. SS. 18. 74) tradunt 1700 occisos et captos esse; chron. Cassinensis anon. (Murat. 5, 69 A) 1800 occ. et 1700 cap.; ann. Laudenses 2000 occ. et 3000 cap.; ann. Placentini (M. SS. 18, 413 u. 462) plus 3000 occ.; chron. Sanpetrinum (Mencken SS. 3. 222) 3000 occ. et 7000 cap.; Brev. Pisanae hist. (Murat. 6, 180) 4000 occ. 5000 cap.; chron. Fossae novae (Murat 7, 873) 6000 occ.; ann. Seldentalenses (Böhmer fontes 3, 526) 7000 occ.; hist. Farfenses 6000 occ.; ann. Stadenses (M. SS. 16, 345) plus 6000 occ.; ann. Magdeb. 8000 occ. et 4000 cap.; ann. Cameracenses (M. SS. 16, 539) et appendix ad Radevicum 9000 et 3000 cap.; ep. Reinaldi, ann. Col. max., ann. Floreffienses (M. SS. 16, 625) chron. praes. Col. ined. (Ficker 112, nota 4) 9000 occ. et 5000 cap.; ann. S. Petri Erphesfurd. 10,000 occ.; Helmold (chron. Slavorum 2 cap. 10) 12,000 occ.; Sigeberti auct. Aquic. et Otto Sanblas. 15,000 occ. et cap.; chron. Tolosani 15,000 occ. Sicardus Cremonensis dicit 1600 ap. S. Stephanum sepultos esse.

69) Ann. Seltendalenses. — chron. Sanpetrinum.

70) Ann. Magdeburg.

71) Ep. Reinaldi.

72) Vit. Alexandri. — Sicardus Cremonensis.

73) Vit. Alexandri. — Helmold chron. Slav. 2, c. 10.

74) Ann. Laudenses. — Ann. Oberti.

Ancona tradita[75]) Romam proficisci non dubitat: 24 d. m. Iulii[76]) in monte Mario castra collocavit et hebdomadis spatio non intermisso una cum suo papa Paschali III. Romam ingressus est; Alexander permutato habitu urbe aufugit.

Assecutus esse videbatur imperator Fredericus, quod omnibus aliis rebus magis optaverat, ad quod impetrandum per multos annos summa virium intentione annisus erat; quae vix imperatoris amici speraverant, unius victoriae gravitate erant perpetrata.

75) Ann. Laudenses.

76) Papencordt, Gesch. d. Stadt Rom. 273. Anm. 1.

Conradus Varrentrapp de vita sua.

Natus sum Brunsvigae a. h. s. XLIV 16 kal. sept. patre Francisco matre Elisabetha e gente Kelleriana. Litterarum elementis imbutus in patriae urbis gymnasium receptus sum a. G. Th. A. Kruegero avo dilectissimo, cui quantum debeam non est huius loci pluribus persequi. Maturitatis testimonio instructus anni MDCCCLXII Gottingam me contuli studiis historicis operam navaturus. Duos annos ibi commoratus Bonnam deinde Berolinum profectus sum; in utraque academia per sex menses studiis operam dedi. Berolino denique relicto ad vada caerula Rheni laeto animo reversus sum, ut aestivos menses huius anni in hac alma universitate degerem.

Viri, quorum scholas per haec tempora frequentavi hi sunt: Abel, Curtius, Helferich, Lotze, G. Mueller, Ritter, Sauppe, Vischer, Waitz Gottingenses, Bernhardt, Iahn, Kampschulte, Maurenbrecher, Noorden, Schaefer, Springer, Sybel Bonnenses, Droysen, Iaffé, Mommsen, Ranke Berolinenses. Praeterea ut exercitationum historicarum particeps essem, Gottingae Georgius Waitz, Berolini Leopoldus de Ranke, Bonnae Henricus de Sybel, Guilelmus Kampschulte, Arnoldus Schaefer benigne mihi concesserunt. Atque his omnibus viris optime de me meritis ut ex animi sententia gratias ago quam maximas, ita singulari benevolentia me devinxerunt Georgius Waitz, Henricus de Sybel, quorum memoriam pio animo semper servabo.

Sententiae controversae.

I. *Etiam plebeiis in comitiis curiatis ius suffragii erat.*

II. *Carolus Magnus a. 772 primam expeditionem in Saxoniam fecit, ut fines tueretur, non ut Saxones subiiceret subiectorumque animos ad Christi cultum converteret.*

III. *Otto I imperator cum Danis bellum non commisit.*

IV. *Henricus II imperator a Guilelmo de Giesebrecht nimis laudatus.*

V. *Frederici primi imperatoris diploma a. 1166 Norinbergk Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi datum (Boehmer 2513. Heinemann, Albrecht der Baer 474) est spurium.*

VI. *Conradi archiepiscopi Maguntini diploma a. 1178 monasterio in Eberbach datum (Wenck, hess. Landesgesch. 2, 110) est spurium.*

VII. *Errant, qui Carolum quintum imperatorem perfidiae culpam in se admisisse, quum Philippum Hassiae comitem provincialem vinculis mandavisset, contendunt.*

VIII. *Fredericus II Borussiae rex de poesi nostra optime meritus.*

IX. *Rectissime Dahlmannus (Politik ed. 2, 326) permulta esse censet, quae universitates a minoribus oppidis in regnorum capita transferri vetent.*


3 0112 105478082